Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 987
Quelle:
Copyright:

gulos ad Editionem magno labore exigere, suumque singulis ex eadem locum adsignare, nec Codicis aetas, nec Scribae peritia mereri visa est. Jacet ad calcem: *Explicit Nicolaus Meyssner prope Czwickauiam.*

CCCCXXIV.

R. 3122 Codex membraneus lat. Sec. partim XII. partim XIII. Folior. 149. 4. eleganter scriptus, sed quadam sui parte tardius subpletus, rubricis distinctus et olim Coenobii *Montis Pomerii*, *Pomarii*, *Baumgartenberg*. Ord. *Cist.* in *Austr.* super. varia D. *Bernhardi Abb. Claraevall.* continet, quae ordine edisseram. I. *Incipit tractatus domni Bernardi abbatis clareuallensis de primo uersu Qui habitat in adiutorio altissimi.* Tò *domni* credibile facit, Codicem ante a. 1174. scriptum fuisse, quo *Bernhardus* inter Divos relatus est. Sermones XXVII. in quos Commentarius iste tributus est, extant edit. *Maur. Opp. Paris.* 1690. f. T. III. *col.* 827. Ineunt a Prologo: *Considero laborem uestrum fratres* &c. et in Codice parum ab Editis variant.

II. *fol.* 51. *Sermonum de Diversis, de Tempore* et *de Sanctis* sequitur Congeries initio ducto a *Notula ejusdem de uersu primi Psalmi Beatus uir.* quae incipit: *Pij sunt qui in deum credunt*, et in Edit. *T. cit. col.* 1198. inscripta est *Sermo* LXXII. quamvis *Bernhardo* vix in mentem venerit, breves ejusmodi Commentatiunculas, quae nullam Sermonis formam habent, *Sermonum* titulo insignire. Ab hinc omnia *Bernhardina* sunt, licet alio ordine, et saepe aliis Rubricis, quam quas in *Edit.* praeferunt. At vero

III. *fol.* 113. p. 2. succedit Rubrica: *De septem donis spiritus sancti et euangelicis beatitudinibus*, cujus Textus: *Prima gratia est timor domini* &c. Item Rubrica: *Sermo de humilitate et caritate et pacientia et obedientia*, cum Praefatiuncula inscripta: *Incipit prologus Sancti Bernhardi in libellum de uirtutibus*, quae Praefatiuncula in lacinia paullo recentius descripta et inserta est, hujus tenoris: *Eius inspirante gratia qui ubi uult spirat* &c. Utrumque hoc Opusculum *Mauriani* ad T. V. relegaverunt, et quidem ad *coll.* 757. et 557. nullo indicato Autore, nisi quod secundum ad *Benedictinum* aliquem pertinere putent, cum in eo citetur S. *Benedicti* Regula, quae mihi quidem ratio videtur infirmior; nam etiam *Cisterciensium* est haec Regula.

IV. *fol.* 129. *De fide spe et caritate.* Tractatulum hunc in Edit. *cit.* non reperi. Nihil in eo de *Caritate*, sed praeter adductam Rubricam hae sequuntur: *De Fide. De spe. De fide antiquorum. De fide simplici.* Igitur aut incompletus est, aut fallit prima Inscriptio. Initium est: *De fide et spe que in nobis est omni poscenti rationem reddere ut ait beatus petrus in epistola sua parati esse debemus cum modestia et timore. Itaque ut pariter seruentur modestia in sermone timor in assertione prophanas uer-*

borum